DE
PISISTRATI ET HIPPIAE TYRANNIDE
CAP. VII.—XI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE IMPETRATIS

DIE V. APRILIS A. MDCCCLXII.

HORA XI.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BENNO HAENISCH

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

TH. NOACK, CAND. PHIL.

F. FOERSTEMANN, STUD. PHIL.

HALIS,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

DE PISISTRATO.

VII. Pisistratus Hippocratis filius longe nobilissimo genere Nelidarum oriundus fuit.[1]) Ante eum natum Hippocrati, quum privatus Olympiae sacrificaret, prodigium obvenisse fertur. Quod quum Chilo Lacedaemonius conspiceret, illi suasit, ne fecundam uxorem duceret, sin autem duxisset, ut dimitteret atque si filium sustulisset, abdicaret. Illi autem postea Pisistratus natus est.[2]) Jam mature cognationis et consuetudinis vinculo inter Solonem et Pisistratum adolescentulum ea amicitia atque caritas intercedere coepit, ut ne gravissima quidem de rebus publicis dissensione inter eos exorta postea ex animis benevolentiae conjunctio eximi potuerit.[3])

---

1) Her. 1, 59. 5, 65. Plut. Sol. 30. Diog. L. 1, 53. Adscriptus fuit Philaidarum pago. Plut. Sol. 10. Plat. Hipprch. p. 228 B. cf. Leake d. dem. Att. p. 234. Ante Clisthenem enim iam pagos fuisse Atticae satis constat, quamquam his ipsis illa aetate nullus iu reipublicae institutis locus datus erat. Cf. Her. 1, 60. Plut Sol. 12, 18. Nomen ille habuisse fertur ex Pisistrato Nestoris Nelidae filio. Her. 5, 65. Mater illius constanti aetate amori operam dedisse fertur eique filius libidinis minister fuisse, si quidem narratiunculae ap. Plut. apophth. reg. imp. p. 189. C. fides habenda est.

2) Her. 1, 59. Diog. 1, 68. Quo anno P. natus sit, statui nequit. Her. 5, 71. id unum indicat, Cyloneum scelus commissum esse ante Pisistrati aetatem: *πρὸ τῆς Π. ἡλικίης*. *Ἡλικίην* enim omnino hoc loco aetatem neque autem iuventutem significare colligere licet ex eiusdem auctoris 2, 53. 5, 59. 60. cf. 1, 26. 5, 51. 6, 43. Quodsi Thucydidem eo adhibemus, qui Pisistratum senem decessisse auctor est (6, 54.), haud scio an a veri similitudine non multum aberraverim suspicatus illum circa Ol. 45. a. C. 600. natum esse.

3) Plut. Sol. 1. 29, 4. cf. Diog. L. 1, 66. Aelian v. h. 8, 16. Materno genere contigit Solonem. Plut. Sol. 1, 9. cf. Westerm. ad h. l. Diog. L. 1, 49. Menag. ad h. l.

Quae praeterea a rerum scriptoribus imprimis Plutarcho de Pistrato adolescente commemorantur perpauca sunt eaque magnam partem talia, quae, quod plane a temporis ratione abhorrent, an vera sint recte dubites.[4]) Sed civem eum

---

4) Bellum Megarense a Plutarcho (Sol. 8 sqq.) relatum, quo quidem Solon dux Atheniensium factus (c. 8, 22.) et Salamis a Spartiatis addicta est Atheniensibus (c. 10, cf. Quintil. 5, 11, 40.), satis multis annis ante leges a Solone scriptas gestum sit necesse est, quod ille hoc ipso bello primum sibi auctoritatem apud cives conciliavit (c. 11, 1.). Deinde eodem imprimis auctore Cirrhaeis bellum illatum (c. 11. Ol. 45, 1—47, 2. a. C. 600—591. cf. Clint. f. H. II. p. 196 sq. 298.) atque de Alcmaeonidis iudicium factum est (c. 12, 14. ἤδη δόξαν ἔχων). Tum brevi (Plut. Sol. 12, 32 sq. 13 in. Ol. 46. a. C. 596. Diog. L. 1, 110.) ante, quam Solon Archon factus est, Athenas vocatur Epimenides. Quae quum ita sint, facile sequitur, ut bellum Megarense in decenne temporis spatium ante Ol. 45. a. C. 610—600. incidat, sed ita ut ad huius initium propius sit, quoniam Solon, circa Ol. 35, 2. a. C. 639. natus, qui tunc primum de republica optime meruit, satis iuvenis huic bello interfuisse videtur. Nescio an ad hoc bellum excitandum alicuius momenti fuerit, quod Cylon Theagenis Megarensis opera usus erat ad rem publicam capiendam aut seditiones, quibus sive per Theagenis tyrannidem sive paulo post Megarensium civitas vehementissime iactabatur, Atheniensibus opportunitatem fecerint belli renovandi (Plut. quaest. Gr. 18. p. 295 C.). Ipsi quidem Megarenses Salaminem proditam esse narrabant Atheniensibus exulum opera, quos Doryclеos vocabant. Paus. 1, 40, 5. In hac narratione κληροῦχοι quippe Athenienses commemorantur. Quod satis congruit cum populi scito ap. Plut. Sol. 9. quod quingentos Athenienses, quos Solon voluntarios secum duxerat, quum insulam occupassent, eius civitatis principes iussit. Accuratius huius belli tempus statui nequit. Quovis enim animum adverteris, de temporum ratione plane te destitutum videbis atque tantis tenebris has res obrutas, ut ne unum quidem, quo duce reliqua certo indagaturum te sperare possis. Itaque ut nunc argumentum suppetit, ne coniecturae quidem ad veri similitudinem accedere possunt. — Ita Pisistratus, quem hoc bello tamquam secundas partes agentem facit Plutarchus (c. 8, 20. 24.) eius particeps fuisse non potest. Is enim circa Ol. 45. a. C. 600. natus esse videtur. Neque vero Westermannus prope ad veri similitudinem accessisse videtur, qui illum Pisistratum tyranni avum fuisse coniecit (ad Plut. Sol. 8, 24.). Sin autem Pisistrati avo Pisistratus nomen fuisset, nepos ab avo nomen traxisset ex usitatissimo Graecorum more. Quod quidem plane repugnat Herodoto (5, 65.), qui tamquam novitatem eius nominis in illa gente illustraturus, Hippocratem ait memoria Nestoris filii revocata filio Pistrato nomen dedisse. Neque vero ille Pisistratus, qui Ol. 27, 4, a. C. 669. archon fuit, huic bello sexaginta prope annis post interesse potuit. Cf. Paus. 2, 24, 7. Dion. H. a. R.

inter cives insignem fuisse virtutibus quum Herodotus (1, 59.) auctor est, qui bello Megarensi illum Nisaea capta aliisque

---

3, 1. Clint. f. H. s. a. 669. Iam vero quoniam et Herodotus (1, 59.) gravissimus auctor Pisistratum tyrannum Nisaea, qui est Megarae portus, capta magnam sibi gloriam paravisse narrat et Plutarchus (12, 22.) Athenienses Nisaeam paulo ante lustrationem ab Epimenide peractam a. C. 569. amisisse atque iterum Salamine expulsos esse tradit, quoniam aetate posteriore semper eam sub Atheniensium dicione fuisse invenimus, Salaminem Athenienses postea recuperasse necesse est. (Postquam his rebus perpensis ad hanc sententiam perductus sum, idem sensisse Baehr. ad Her. 1, 59. invenio.) Hi vero quum insequentes per annos et lustranda urbe et paulo post componendis factionum certaminibus distenti essent (c. 13. in.), plane apparet, bellum ad recipiendam Salaminem gestum incidere in aetatem post leges a Solone conditas, de qua auctores veteres paene nihil tradiderunt. Quo quidem tempore intestinis discordiis Megarensium civitas flagrabat. Aristot. pol. 4, 12, 10. 5, 2, 6. 4, 3. Itaque nihil sane fuerit cur testi Herodoto auctoritatem anferamus. Plutarchus autem vel potius scriptores, quos auctores habuit harum rerum, — erant autem Athenienses vetustas res referentes plerumque haud magna iudicii severitate (Thuc. 1, 20.) — haec duo bella, inter quae magnum temporis spatium interiectum est, unum esse putabant. Verum ex eo etiam quodammodo adhuc perspici potest, quod de hac re a Plutarcho duplex memoria prodita est. Aliis enim auctoribus (Plut. c. 9) quingenti Athenienses voluntarii, occulte Salaminem transgressi, Solone duce navem speculatoriam Megarensium captam suis compleverunt, qui, dum reliqui collato pede rem gerunt, per dolum urbem Salaminem occupaverunt. Ita insula in Atheniensium potestatem redacta esse fertur. Non temere nec casu mihi videtur evenisse, ut neque in hac narratione neque in arbitrii Spartiatis permissi memoria ulla mentio facta sit Pisistrati, sed unius Solonis. Quadecausa ad illud secundum bellum Megarense — tria enim sunt idque primum Draconis fere aetate (cf. III. adn. 15.) — eam referre velim. Ex altera narratione, quam in ore vulgi versari Plutarchus (Sol. 8, 23 sqq.) tradit, Solon et Pisistratus quum Megarenses illexissent, ut sacra Cereri facientes ad Coliadem mulieres Athenienses raperent, postquam armatos muliebri vestitu occultaverunt, illos egressos ex navibus adorti deleverunt, ac statim transgressi insulam recuperaverunt. Eodem fere modo ceteri rem narrant, sed ita tamen, ut omnes praeter Polyaenum (1, 20.) unius Pisistrati ducis mentionem faciant. Iustin. 2, 8. Frontin. strat. 4, 7, 44. Aene. poliorc. 4. ed. Koechl. et Ruest. Iam vero Iustinus (2, 7 sq.) manifesto narrat post Salaminem ab Atheniensibus expugnatam Megarenses hanc incursionem fecisse in Atticam, quo et ipso illa mea sententia confirmari videtur. Sed Iustinum etiam bellum alterum excipere prius opinari ex initio cap. 8. interea Meg. q. s. colligere licet. Idem autem refert, Pisistratum irruptione Megarensium repulsa protinus classe captiva usque ad Megarae portum

egregie factis gloria floruisse tradit, tum ipsius Solonis testimonio demonstratur, qui majore virtutis indole eo ullum fuisse praeditum civem aut omnino meliorem negat. At non haberi solum magnus inter cives virtutibus voluit neque gloria tantum ducebatur, sed summo studio et animi ardore id unum appetebat, ut penes se esset omnium summa rerum.[5]) Huc accedebant etiam calliditas et blanditiae sermonum ac morum. Cujus rei libuit simulator ac dissimulator suspicionem civium avertebat fiduciamque sibi conciliabat, atque cauti modesti rerum novarum studiosis inimici hominis famam consecutus est. Laudabatur in eo aequitas et modus adversus hostes, misericordia in miseros.[6]) Permultum etiam valuit dicendo. Dulcis autem erat vox, varia et expedita et perfacile currens oratio. Sed quantam vim dicendo habuerit, ex eo imprimis intellexeris, quod summa hac in re inter Pisistratum et Periclem, qui idem specie ac figura illi similis habebatur, similitudo videbatur. Namque admodum senex quidam quum Pericli adolescentis primae contioni interesset, qui idem adolescentulus Pisistratum senem contionantem audiverat, non temperasse sibi fertur, quin exclamaret, cavere ab illo cives oportere, quod Pisistrati simillima ejus esset oratio.[7]) Tali ac tanto ingenio Diacriorum dux fuit, qui, quum Solon compositurus esset seditiones, omnium maxime obsequium simulabat.

VIII. Pisistratus, quum Solonem eodem modo atque ceteros falli posse opinaretur, ipse falsus est. Is enim illius

---

contendisse atque Megarensibus, qui specie classis decepti obvii processissent, caesis paulum a capienda urbe abfuisse. Quod adeo congruit cum Herodoto, ut facere non possimus, quin veri aliquantum hac narratione contineri suspicemur. Veri denique vestigium aliquod inesse mihi videtur in Daimachi Plataeensis sententia; qui Solonem ipsum bello Megarensi interfuisse negasse videtur. Plut. comp. Sol. et Poplic. c. 4. Namque narratio, quam is cognoverat, ad bellum tertium pertinuisse videtur, ipse autem eorum fuit, quorum in memoria haec duo bella tamquam in unum coaluerant.

5) Plut. Sol, 29, 25 sqq.

6) Plut. Sol. 29, 15 sqq. cf. Sol. frg. 11, 5 sqq. Diog L. 1, 54. med. 65.

7) Cic. Brut. 7. 10. de or. 3, 34. Plut. Per. 7. Val. Max. 8, 9 ext. 1. 2. cf. Sol. frg. 11, 7. εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός. Diodor, exc. Vat. p. 18, 3 sqq. Dind.

mentem brevi penitus perspexit atque insidias primus pernovit; neque vero odio eum persecutus est, sed admonitione et temperamento ei opus esse putabat.[1]) Sed ne ita quidem Pisistratus consilia sua deponenda esse censuit, quoniam Solonem unum res bene intelligere, reliquorum mentes occaecatas esse cupiditate aut timore haud ignorabat. Suorum animos quum plane exploratos haberet eosque frequentes in urbem convocasset personam Ulixi in Troja, ut Solon dixit,[2]) retractans machinatus est illud: postquam se ipse atque jumenta vulneravit, curru vectus est in forum atque, quum rus proficisceretur, insidiatos sibi esse reipublicae causa adversarios simulans, praesidium sibi quippe de republica optime merito imploravit a populo. Ad haec visa auditaque quum recens per omnium animos ira indignatio misericordia agitarentur, tumultus ingens totam urbem pervasit. Pauperes se undique in forum proripiunt, ad Pisistratum se adjungunt, tumultuantur armis eum tueri parati sunt: contra divites hac subita et inopinata seditione oppressi trepidant et aufugiunt atque ita in terrorem conjecti sunt, ut facile Pisistrati partes superiores fiant. Tum Aristone auctore senatus decrevit populusque jussit, ut quinquaginta cives deligerentur, qui clavis armati Pisistrato darentur praesidio.[3]) Unus acerrime huic et in senatu et in contione resistebat Solon, sed ab adversariis pro insano et senectute confecto habitus, omni suorum auxilio destitutus nihil proficere potuit neque aliud quidquam ex eo reportavit nisi miserum solatium, alteris se esse prudentiorem alteris fortiorem et brevi tempore patefactum iri suam civibus insaniam quum denudatis consiliis verum in medio foret.[4]) Deinde quod

---

1) Plut. Sol. 29, 22 sqq. Aelian. v h. 8, 16. Diodor. l. c.

2) Plut. Sol. 30. cf. Hom. Od. 4, 242 sqq.

3) Her. 1, 59. Plut. l. c. Diodor. 13, 95. Iustin. 2, 8. Diog. L. 60, 66. Cic. d. rep. 1, 44. Arist. rhet. 1, 2. p. 1357, 30. Aelian. v. h. 8, 16. Polyaen. 1, 21, 3. Schol. Plat. resp. 8. p. 566. B. cf. Plat. l. c. Sol. frg. 11, 3. Diog. L. 1, 49. Pisistrati factionem Pisistratidas appellat.

4) Plut. l. c. Diog. 1, 49. 65. Aelian. v. h. 8, 16. Diodor. exc. Vat. p. 18, 23. Sol. frg. 9. Hoc fere tempore Solonis carmen conditum est, cuius pauci supersunt versus. A rerum natura exorsus, quae de coelo multa hominibus exitiosa demittit, praesagiens futuram tyrannidem, a magnis viris, inquit, pessum datur civitas atque in unius servitutem ex imprudentia incidit

et lege et civium socordia male cautum erat de custodum numero, facile factum est, ut Pisistratus, quot satis putabat, satellites augeret[5]) eorumque armis adjutus, quum denuo inter factiones graviter in urbe certamina exarsissent, arce potiretur. Ita Athenienses idem experti sunt, quod sexaginta fere annis ante Megarensium civitati, quum Theagenes tyrannus factus est, accidisse traditum est. Is cui plebs odio incensa, dum certamina serit cum divitibus, fidem habuit, praesidium adeptus tyrannidem occupavit.[6])

Quo facto Megacles Paralorum princeps cum reliquis Alcmaeonidis, qui omnium maxime postea odio persequebantur tyrannos,[7]) ex urbe fugit.[8]) Quorum in numero Cimon etiam fuit Stesagorae filius, pater ejus Miltiadis qui Persas ad Marathonem devicit.[9]) Solon iterum unus rempublicam fortissime defendebat. Is quamvis admodum senex, sed animosior ac fortior juventute tamquam ad tuendam patriam armis paratus et in publicum progressus temeritatem segnitiamque populi castigabat atque adhortabatur, ne libertatem proderent: nascentem enim tyrannidem exstinguere prius quidem facilius fuisse, sed jam adultam evertere nunc esse majus et splendidius. Sed quum prae metu nemo animum ejus dictis intenderet, domum recessit atque armis in via ante januam positis contestatus deos, equidem inquit, quantum in

---

populus. Si quem plane extuleris, non facile est postea deprimere. Sol. frg. 10. Eodem spectant versus frg. 11, 5 sqq., quibus populi socordiam castigat. Cf. Diod. 19, 1. frg. Vat. p. 24. Cic. d. div. 1, 49.

5) Ita intelligi potest satellitum numerus ap. Polyaen. 1, 21, 3. Schol. Plat. resp. 8. p. 566 B. qui trecentos eos fuisse tradunt. Diog. 1, 66. in subditicia Solonis epistola ad Epimenidem data quadringentos custodes Pisistratum postulasse narrat. Schol. Arist. Lys. 665. hos satellites *Λυκόποδας* appellatos esse tradit, quod pedes pellibus lupinis vestitos sive quod clypeos lupi imagine signatos haberent. Cf. Suid. s. *Λυκόπ.* Apostol. 10, 91. Phot. 235, 17.

6) Her. 1, 59. Plut. Sol. 30. Quintil. 5, 11, 8, Phaedr. 1, 2, in. Id factum est Comia archonte Ol. 55, 1. a. C. 560. Plut. Sol. 32. cf. Clint. f. H. s. 560. De Theagene et Dionysio eadem fraude ad rem publicam capiendam usis cf. Arist. pol. 5, 4, 5. cf. 8, 3. rhet. 1, 2. p. 1357, 30 Bekk.

7) Cf. Her. 6, 121. 123.

8) Plut. Sol. 30. cf. Isocr. Panath. §. 148.

9) Her. 6, 103. cf. IX. 9.

me fuit, patriae legibusque subveni.[10]) Neque multo post, quum jam res clarius intelligere coepissent et pavor recens omnium animos suspensos haberet, versus condidisse videtur, quibus populum de libertate amissa lamentantem castigat: si mala, inquit, experti estis per vestram pravitatem, nolite quidquam eorum ad deos referre: ipsi enim hos dato praesidio auxistis et propterea malam fertis servitutem.[11]) Inde a negociis publicis remotus amicis, qui a tyranno ei ipsi timentes fugam suadebant, non obedivit. Qui quum quaererent, quo tandem fretus tam dementer in se consuleret, ille respondisse dicitur: senectute.[12]) Sed vera honestate usus pristinaeque amicitiae memor Pisistratus Solonem honorifice benigneque excepit atque tamquam laudans et comprobans ejus virtutem ac sapientiam de rebus gerendis in consilium adhibuit.[13]) Ceterum ita rempublicam gubernavit, ut neque magistratus affligeret neque leges perfringeret, sed majorem constantiam ac vim adderet legibus a Solone constitutis, quum et ipse primus eas servaret atque amicos secundum eas vivere juberet. Ita quum quondam in Areopagum caedis arcessitus esset, venisse dicitur causam suam ut jus erat dicturus, sed accusator vadimonium deseruit.[14]) Pro-

---

10) Plut. Sol. 30, 29 sq., quem maxime auctorem hoc loco secutus sum, qui has res ordine, qui proxime ad veri similitudinem accedit, narrare mihi videtur. Namque illa animi perturbatio Solonis facillime intelligitur, si post arcem occupatam id factum esse putamus, quod quidem ipsius Solonis verbis plane affirmatur. Cf. Plut. an sen. ger. resp. 21. p. 794 E. Diog. 1, 49 sq. 65. Diodor. exc. Vat. p. 18. 23 sq. Aristid. II. p. 293. Aelian. v. h. 8, 16. Val. Max. 1, 2 ext. 2.

11) Sol. frg. 11, 1—5. Versus quattuor quos illos continuos complures auctores subiiciunt, ita non satis suum locum mihi tenere videntur, quoniam Pisistrati quippe sua consilia dissimulantis atque instruentis tantum insidias mentio fit his versibus. Atque id confirmare videtur Plut. Sol. 30. qui versus quattuor priores, postquam arcis occupationem commemoravit, tres autem posteriores — octavum enim amittit — ante huius facinoris narrationem affert. De frg. 12. cf. Bergk. ad h. l.

12) Plut. Sol. 30 extr. 31 in. Alii omnes Diodor. exc. Vat. p. 18. 24. Cic. Cat. M. 20. Plut. an sen. ger. resp. 21 p. 794. E. tradunt Pisistrato ipsi ita illum respondisse.

13) Plut. Sol. 31. Aelian. v. h. 8, 16. Diodor. exc. Vat. p. 18. cf. Diog. 1, 54.

14) Her. 1, 59. Plut. l. c. Arist. pol. 5, 9, 21. cf. Diog. 1, 53. 66 sq. Polyaen, 5, 14 extr.

pterea quod arrogantius sibi sumpserat, usurpatione ejus quodammodo defenditur. Atque epistola Pisistrati ad Solonem data, quam legimus apud Diogenem[15]) quamvis subdita at bene et ad viri ingenium magna ex parte accommodate inventa videtur.[16]) Multa in vitae fine Solonis in diversum trahunt, ut cui famae, quibus scriptis assentiaris satis dubites. Non de aetate quam attigerit, convenit, non de anno, quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit. Tanta obscuritate obrutus est ejus viri exitus qui omnium aequalium longe optime meritus est de republica atque civibus praeclarum suae virtutis ac sapientiae monumentum reliquit. Sed omnibus bene ponderatis sententia mea ad eos scriptores inclinat, qui non multo libertatem illum vita superasse auctores sunt. Anno enim postquam Pisistratus tyrannus factus est, Hegestrato archonte (Ol. 55. 2. a. C. 559.)[17]) eum mortuum esse Phanias Eresius[18]) memoriae prodidit. Funere publico, si quidem Aeliano fides habenda est, elatus, sepulcrum dextra per portas intrantis juxta moenia situm muro saeptum, statua aenea a posteris Athenis in foro at-

---

15) 1, 53. 54.

16) Praeclare etiam illud Solonis (frg. 11.). Phaedrus (1, 2, 6 sq.) illustrat, qui tristem servitutem ait flere Atticos, non quia crudelis ille, sed quoniam grave omne insuetis onus sit.

17) Plut. Sol. 32.

18) Phaniae, qui ap. Plut. Them. 1 13. *ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ γραμμάτων οὐκ ἄπειρος ἱστορικῶν* appellatur, testimonium longe mihi probabilius est. Accuratissime is hanc rem cognitam habuisse videtur, quoniam nominato archonte mortis annum consignavit. In eandem sententiam discedunt Diodorus, qui Solonem ait prope vitae exitum atque admodum senem tyrannidi orienti obstitisse (frg. Vat. p. 18. 23.) et Aelianus, qui paulo post illum exactae aetatis mortuum esse (v. h. 8, 16. *ὑπέργηρως ὤν*. cf. Plut. Sol. 29. 12. 30, 29. *ἤδη ἦν σφόδρα γέρων*). Cf. Clint. f. H. II. 301. Westerm. diss. chron. sub. fin. ejus edit. Plut. Sol. p. 87 sq. Heraclides Ponticus multo post (*συχνὸν χρόνον*) tyrannidis initium Solonem decessisse tradit (Plut. Sol. 32.) atque Diogenes tyranno facto demum Athenis profectum et Cypri profugum mortuum esse narrat (1, 50. 62. cf. Suid. s. *Σόλων*. Val. Max. 5, 3 ext. 3. cf. Dio Chrys. 36 p. 102. Schol. Demosth. 45, 64. supra VI. adn. 2.) Deinde quem aetatis annum ille attigerit, inter scriptores discrepat: ad octogesimum annum eum pervenisse vult Diogenes (1, 62.), centum annorum fuisse Lucianus narrat (macrob. 18.).

que multo post Salamine altera posita est.[19]) Alii iique graves auctores, quorum in numero fuit Aristoteles, illum morientem, per insulam Salaminem suum cinerem spargi jussisse ferunt, quod Plutarchus incredibile omnino et fabulosum esse censet.[20])

IX. Huius primae tyrannidis initio Miltiades Cypseli filius primus colonos Athenienses deduxit Chersonesum. Tenebant autem hanc regionem Dolonci Thraces. Qui quum a finitimis Apsinthiis bello premerentur, Delphos miserunt suos regulos, qui oraculum de bello consulerent. Iis Pythia respondit, conditorem domum deducerent eum, qui primus ipsos e templo egressos hospitaliter invitasset. Per Phocidem Boetiamque in sacra via profecti, quum nemo eos exciperet, iter deflexerunt Athenas.[1]) Quo postquam ventum est, Miltiades eos, quum in vestibulo sedens peregrinos conspexisset praetereuntes, in hospitium benigne invitavit. Qui quum oraculum ostendissent, rogabant illum, ut deo iubenti obtemperaret. Ita coloniae novae deducendae causam Herodotus narrat,[2]) qui quidem omnino pro suo pio erga deos animo omnes res maioris momenti ab ipso deo gubernari vult. Quamquam ad veri similitudinem proxime Grotius[3]) accessisse videtur suspicatus, Doloncorum animos Athenienses eo inprimis in se convertisse, quod iam pridem Sigeum prope ad Hellespontum situm in Atheniensium potestate fuisset. Neque vero Miltiades invitus illos audivit, quod ex tyrannide sibi odiosa se eripere cupiebat fratrem Cimonem imitaturus. Neque Pisistratus obstitit incepto, sed oblata occasione usus idonea ad submovendos, quicunque dignitate aut rerum novarum studio suspicionem ipsi movebant, libenter opem tulit Miltiadi.[4]) Namque in hunc etiam quamvis omnium optimum

19) Aelian. v. h. 8, 16. Demosth. in Aristog. II. p. 807. cf. Menag. ad. Diog. L. 1, 62. Paus. 1, 16, 1. ante Poecilen positam eam esse dicit.

20) Plut. Sol. 32 extr. Aristid. or. 46. p. 172. Hanc narrationem iam Cratini tempore in hominum ore versatam esse Diog. L. 1, 62. Cratini versibus testatur.

1) Her. 6, 34. Marcell. vit. Thuc. 5. ed. Boehme.

2) 6, 35. Marcell. 6 sq.

3) Hist. Gr. IV. p. 156.

4) Marcell. 7.

tyrannum[5]) quodammodo cadit, quod Aristoteles[6]) omnino de tyrannis recte iudicavit: nullum, inquit, gravem aut liberum virum diligere tyrannorum est: se ipsum enim solum esse talem probat tyrannus. Qui contra eum dignitate valet atque sibi libertatem vindicat, praestantiam et dominatum aufert tyrannidi, oderunt igitur tamquam eos qui dominationem evertant. Valuit autem Miltiades multum inter primores civitatis quum nobilitate, tum maxime victoria quadrigis Olympiae reportata magnam sibi gloriam paraverat.[7]) Qui postquam Delphicum oraculum de eadem re consuluit, Pythiae iussu quum Athenienses, quicunque expeditionis participes esse voluerunt, assumpsisset, profectus est Chersonesum. Inde a Doloncis tyrannus factus quum Chersonesi aditum adversus Apsinthios muro triginta sex stadiorum interiecto praesaepsisset,[8]) a Lampsacenis quibuscum primis bellum gerebat per insidias captus, sed Croeso intercessore mox liberatus est.[9]) Pisistratus autem non multo post (μετὰ οὐ πολλὸν

---

5) Cf. Diog. 1, 67. Cic. ad Att. 7, 20.

6) Pol. 5, 9, 7. cf. 9, 2. 8, 7.

7) Her. 6, 35 sq.

8) Ib. c. 36.

9) Ib. c. 37. Miltiadem primo aut secundo huius tyrannidis anno Athenis profectum esse ex eo maxime apparet, quod etiamtum Solon, quem Ol. 55, 2. a. C. 559. mortuum esse gravissimi auctores sunt, Atheniensibus suasit, ut suam facerent Chersonesum Thraciam. Diog. 1, 47. Ad hoc consilium numquam nisi tunc, quum occasio illa data erat, impulsus esse videtur. Et sane eum, qui tyranno consuleret in rebus gerendis et tamen patriae amantissimus esset, satis id suadere decebat, quod quum Pisistrato utile tum maxime civibus saluti esset. Iam vero illud haud multo post tyrannidem exortam accidisse ex eo quodammodo intelligere licet, quod a veri similitudine abhorret, Miltiadem, qui aegre ferret tyrannidem iustamque causam quaereret ex Attica egrediendi (Her. 6, 35. Marcell. 6.), diu Athenis remansisse. Itemque hoc fieret necesse fuit, antequam Pisistrati, qui haud multo post eiectus est, adversarii denuo incrementa ceperunt. Tum enim non cogitasset tyrannidem effugere, sed eam evertentibus succurrere. — Usque ad hunc Miltiadem ex Didymo auctore Pherecyde stemma attulit Marcellinus (3.), sed mutilatum est et confusum videtur. Verba ἐφ᾽ οὗ ἄρχοντος ἐν Ἀθήναις τοῦ δὲ Μιλτιάδης, quae librarius per errorem oculis praecepisse videtur ex subsequentibus, delenda esse censeo, ita ut excipiat τοῦ δὲ Ἱπποκλείδης praecedens τοῦ δὲ Τίσανδρος. Hippoclides enim, quo archonte Ol. 53, 3. a. C. 566. ludis Panathenaicis equestribus certamen gymnicum additum est (cf. Clint. f. H. s. 566.) idem esse videtur atque Tisandri

χρόνον), quum tyrannis nondum satis esset stabilita atque excitata aliquando civium nimium diu recondita et in socordiam versa libertas subveniret subito reipublicae, postquam Parali Megacle duce cum Lycurgo Pediensium principe ad liberandam rempublicam conspiraverunt, urbe expulsus est. [10])

---

filius, qui una cum Megacle Agaristam Clisthenis tyranni filiam in matrimonium petivit. Her. 6, 127 sq. Neque vero is, qui Pisistrato aequalis est, pater esse potest Miltiadis, qui utroque haud multo minor natu fuerit necesse est atque auctore Herodoto Cypselum patrem habuit. Quibus de causis neque Tisander neque Hippoclides in Miltiadis ascendentium ordinem referri possunt. Quod quidem eo facilus errari potuit, quod Hippclides Cypselidas Corinthios cognatione attigit (Her. 6, 128 extr.) et in Miltiadis genere etiam Cypselus nomen usitatum fuit. Huius autem generis fuisse videtur is qui archon fuit Ol. 29 et 30. 2. (Pausan. 4, 23, 5. 8, 39, 2. cf. Clint. f. H. s. 664. 659.) Quamquam Aelianus (v. h. 12, 35.), qui Miltiadem Cypseli filium et Chersonesi conditorem duos esse voluit in errorem contrarium Nepoti, qui Miltiadas Cypseli filium et Cimonis filium unum esse putavit (Milt. 1.), incidisse videtur (cf. Paus. 6, 19.). Addimus hoc loco eius gentis stemma quod quidem huc pertinet:

Cypselus — Stesagoras (Her. 6, 103.)
Miltiades major (6, 34) — unius matris — Cimon (6, 38.) a Pisistratidis interfectus
Cimonis filii: Stesagoras (6, 103.) successor Milt. majoris — Miltiades Persarum victor.

10) Her. 1, 60. Quae viri docti de rebus Pisistrati secundum temporum ordinem descriptis subtiliter coniecerunt, relata atque examinata invenies ap. Clint. f. H. II. p. 201 sq. Is primam tyrannidem sex annorum fuisse arbitratus satis repugnat Herodoti testimonio. Et sane quidem si intra sex annorum spatium Pisistrato nondum stabilitae fuissent opes, plane impar fuisset reipublicae capiendae. Ceterum Clinton in hac ipsa re, qua potissimum ad hanc sententiam adductus esse videtur, vehementer errat. Namque Megacles non Hippiae, sed Pisistrato filiam in matrimonium dedit. Iam vero Vaterus (in Ersch. et Grub. encycl. litt. s. v. Peisistratos) nimis ad Herodoti narrationem certam temporum rationem adhibuit. Locis enim Herodoteis 1, 59, 1. 65, 1. nisus Croesum ait iam tertiae Pisistrati tyrannidis certiorem factum esse. Quamquam enim et primam et secundam tyrannidem semestrem fuisse vult atque tertiam plus sedecim annos integros effecisse censet, hi tamen non sufficiunt ad explen-

Sed inter libertatis auctores quippe quietis impatientes atque rerum novarum studiosos quum nemo esset, qui odium atque invidiam factionum fortiter ac prudenter coerceret, de principatu rursus coortae sunt seditiones. Quibus fatigatus atque in angustias adductus Megacles auctore Herodoto[11]) cum Pisistrato egit, ut filiam ipsius in matrimonium duceret ad recuperandam tyrannidem. Nescio an nimium tribuendo privatis Megacli consiliis Herodotus in his rebus exponendis graviores agendi causas neglexerit. Ita enim haec facta esse videntur, ut Megacles adversus nobiles Pisistrati, cui etiamtum favebat haud exigua pars populi, peteret societatem, cui praemium promisit tyrannidem, cuius vinculum affinitatem fore sperabat. Inde quum inter eos de hac re convenisset, restitutionis causa has composuerunt praestigias, quae non minus Herodoto quam nobis ineptae omninoque quum Graecorum populo tum maxime Atheniensibus indignae videntur.

---

dum temporis spatium, quod a Sardibus captis usque ad Pisistrati mortem pertinens undeviginti vel potius Herodoti auctore (548 vel 546—527. a. C.) unius et viginti annorum est. Huius enim historiam a primordiis imperii Lydorum usque ad Sesti expugnationem, quae auctore Thucydide (1, 89.) ineunte anno (tertio Ol. 75. a. C. 478) facta est, ducentos quadraginta annos complexam esse Dionys. Hal. d. Thuc. 5, 6. (cf. ep. ad Pomp. 3, 14.) testatur atque Herodotus ipse (cf. 1, 14 16. 25. 86.) spatium temporis a Gyge ad imperii excidium CLXX. annos continere auctor est. Itaque (478 + 240 = 718, 718 — 170 = 548) ex Herodoti rationibus Sardium expugnatio describitur Ol. 58, 1. a. C. 548. cf. Clint. f. H. II. p. 296 sq. Westerm. ad Plut. Sol. p. 80 sq. Mihi quidem secundum temporis ordinem ita fere hae res exponendae videntur: Pisistrati

ab anno 660.	prima tyrannis	per	2	annos
— — 558.	prius exsilium	—	$6^1/_2$	—
— — 552/1.	secunda tyrannis	—	$^1/_2$	annum
— — 551.	alterum exsilium	—	$10^1/_2$	annos
— — 541/0.	tertia tyrannis	—	$13^1/_2$	—

Ubi Pisistratus primum exsul commoratus sit, certe quidem Herodotus non tradit, sed ex 1, 61., quo loco de secundo exsilio dicitur ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς χώρας τὸ παράπαν colligere licet, tunc quamvis ex urbe expulsum tamen intra Atticae fines illum sedem habuisse. Euseb. et Hieronym. chron. Ol. 54. Pisistratum in Italiam transgressum esse tradit. Satis speciosa est coniectura Vateri qui Ἰκαριάν scribendum esse censet. Icaria autem est Atticae pagus. Steph. B. Leake d. dem Att. Sed ita Eusebius rem maturius constituit.

11) 1, 60.

Fuit autem in pago Paeaniensi permagna atque formosa mulier, cui nomen erat Phyae. Quae quum armis omnique habitu, quo maxime decora esset apparitura, adornassent atque in currum imposuissent, praemissis praeconibus, qui pronunciarent, Athenienses benevolo animo reciperent Pisistratum, quem prae ceteris mortalibus honore affectum ipsa Minerva in suam arcem reduceret, in urbem invecti sunt. Ad haec audita visaque dum fama pagos pervadit, Pisistratum a Minerva reduci, in urbe quicunque sive praeconibus sive famae aures creduli patefecerant, mulierem pro dea adoraverunt et Pisistratum receperunt.[12]) Quae quidem res satis documento fuerit, quanta illa aetate religionum simplicitas fuerit quantumque de hac re interfuerit inter illos homines atque Herodoti aequales. Ceterum haec res apud populum satis facile fidem facere potuit, cuius in animis ex fabulis de Hercule, de Ulixe, de Diomede pervulgatis opinio penitus haerebat, in Minervae tutela fortissimos quosque viros esse. Ita Minervae Herculem ad deos evehentis simulacrum expressum erat in throno Amyclaeo[13]) similesque imagines aliae alias exstitisse videntur.[14]) Sed has praestigias ad fallendam multitudinem maxime credulam atque superstitione imbutam instructas esse facile apparet. Ceterum hoc inopinato adventu atque summa Pisistrati audacia Pediensium factio ita oppressa, ut nihil de resistendo cogitaret, Diacrii autem ita erecti videntur, ut denuo Pisistrati rebus confiderent, praesertim quum ipsum Megaclem a suis partibus stantem viderent. Ita tyrannide recuperata ex pacto Megacli filiam in matrimonium duxit.[15]) Quum vero filios adolescen-

---

12) Her. 1, 60. Val. Max. 1, 2 ext. 2. Clidem, ap. Athen 13. p. 609 C. narrat Phyam Socratis filiam coronariam fuisse eamque Hipparcho nuptum datam esse. Polyaen. 1, 21, 1. perperam ad alterum Pisistrati reditum illud rettulit. Schol. Arist. Eq. 449. Pisistrati uxorem Myrrhinen Minervae personam gerentem facit. Illius autem uxor, ex qua Hippiam Hipparchumque sustulit, tunc mortua fuisse videtur. Atque dubites eorum mater num appellata sit Myrrhine, quod idem nomen est Hippiae uxori. Thuc. 6, 55.

13) Paus. 3, 18, 7.

14) Cf. Preller. myth. Gr. II. p. 256. 2. ed.

15) Her. 1, 61. Schol. Arist nubb. 48. Coesyram eam appellat. Nomen duxit ab avia, quae oriunda ab Eretria multum valebat genere et opibus. ibid. 46. 64. Cuius, si quidem eadem

tes haberet neque ex Alcmaeonidarum nefaria stirpe liberos tollere vellet, novae maritae consuetudine non ut ius est usus esse fertur. Quod quum filia matri atque haec marito enunciasset, Megacles hac contumelia filiae suaeque genti illata ita exacerbatus est, ut statim in gratiam rediret cum Pediensibus. Hac de causa auctore Herodoto [16]) inter factiones rursus seditiones exortae sunt. Sed omnis quisque facile intelliget non contemptu solum, quamquam eum quoque optimus quisque vel maxime dolet, ad inimicitias cum Pisistrato suscipiendas instigatum esse Megaclem, sed, sicut supra demonstravimus, multo magis ex utriusque in republica statu id proficisci necesse fuisse. Megacles enim quum bene conscius sibi fieret huius rei, poenituisse eum videtur patrando velificatum esse facinori, quod quisque patriae atque libertatis amans pro perduellione iudicare deberet atque intellexisse eum consentaneum est, multo magis suam causam eo sese debilitasse et fregisse quam confirmasse. Iam vero haud ignorabat, nullum in tyrannide locum datum esse cuiquam ingenioso atque gloriae cupido, quoniam tyrannis boni quam mali suspectiores sunt semperque his aliena virtus formidolosa est. [17]) Nullo modo autem fieri potuit, ut vir fortis ac strenuus se conformaret ad eius voluntatem, a quo contumelia affectus erat. Tum Pisistratus cognito insidias sibi parari omnino ex ipsa Attica egressus Eretriam refugit. [18]) Athenis insignis fuit inter eius adversarios Callias Phaenippi filius, qui quum aliis in rebus inimicitias adversus illum exercebat, tum publicata illius bona, quum Athenis expulsus erat, emere audebat. Intelligere

---

est, magnificentia et fastus apud Aristophanem in proverbio est. Cf. Suid. s. ἐγκεκοισυρωμένην.

16) Her. l. c. cf. Plut. d. Her. mal. c. 16. p. 758 C. Pisistrato quinquaginta fere annos nato iam tunc filios adolescentes fuisse credibile est. Atque Hippias eorum maximus qui primo bello Persico iam senex (ἤδη γέρων ὤν Thuc. 6. 59 extr. πρεσβύτερος Her. 6, 107.) appellatur atque satis aetate confectus videtur, hoc tempore certe non multum quattuordecim annos superavit.

17) Cf. Salust. Cat. 7 in.

18) Her. 1, 61. Ex huius narratione plane apparet, Pisistratum, cuius opes tunc adeo non firmatae erant, ut nihil de resistendo cogitaret, quum Megacles cognita illa ignominia statim (ὡς εἶχε) ab hoc deficeret, perpaucos menses in imperio mansisse.

nobis ex hoc licet, quanto metu exsulantis etiam Pisistrati omnia Athenis suspensa essent, quoniam prae aliis infeste factis id potissimum illi tribuebatur singulari audaciae.[19]) Quamquam quum iterum vix occupatam tyrannidem dimittere coactus esset, aliquantum temporis ita animo ille defecisse videtur, ut plane dubitaret de prospero rerum suarum successu Hippiae denique sententia vicit, qui censebat, rursus recuperandam esse tyrannidem. Inde summa vi reditum parabat. Magnam autem eamque tantam rem habuit familiarem, ut exsul privato sumptu civitates adiuvare posset. Itaque quum ipsi earum auxiliis opus esset, grata memoria beneficiorum acceptorum quum multae aliae civitates tum maxime Thebani magnas pecunias suppeditarunt. Semper enim hi, quibus magis magisque Atheniensium opes suspicioni erant, quantum sua interesset, Athenienses finitimos continuis distineri seditionibus cogitabant. His omnibus accesserunt ex Peloponneso Argivi milites mercede conducti atque sua sponte adfuit ex insula Naxo Lygdamis vir dives ac nobilis, qui promptissimo animo et pecunias et copias praebuit.[20])

X. Iam inde postquam ad bellum satis instructus est atque tempus rei gerendae appropinquavit, anno undecimo exsilii Eretria profectus naves in Atticam appulit et castra posuit ad Marathonem. Quem in locum ex urbe, qui ab eius partibus stabant, atque alii a pagis concurrerunt, quibus libertate potior erat tyrannis. Dum haec geruntur a Pisistrato, Athenienses socordia atque desidia tempus contriverunt eorumque cunctatio iam huc progressa est, ut non modo Pisistrati opes sibi parantis, sed ne irruptionis quidem in ipsam Atticam factae ullam rationem haberent. Quem quum Marathone profectum adversus urbem comperissent, tum omnibus demum copiis obviam ire coeptis atque obsistere paraverunt. Inde quum eodem loco apud Minervae Pallenidis templum congressi essent atque hostes, castris

---

19) Her. 6, 121. Rhetores Phyam tunc impietatis accusatam esse fingunt. Hermog. d. inv. 1, 3. p. 76.

20) Her. 1, 61. Hoc exilio filiis iam adultis tertiam uxorem — nam cum Magacli filia divortium factum esse per se intelligitur — duxit Argivam Timonassam, ex qua Iophontem et Thessalum suscepisse fertur. Plut. Cat. M. 24. d frat. am. 6 p. 480. E. reg. et imp. apophth. p. 189. D.

oppositis consistunt. Ibi Amphilytus Acarnan fatidicus, qui acrius quam ceteri has res intelligebat, ad Pisistratum quasi divino instinctu concitatus accessit atque ominatus prosperum successum per imaginem ad modum oraculorum, iactum est, inquit, rete et thynni se illaturi sunt per noctem. Tum intellecto acceptoque oraculo Pisistratus exercitum admovit atque Athenienses, qui pransi partim alea delectabantur partim somno tenebantur, subito impetu incautos aggressus in fugam convertit. Fnga autem dispersi ne colligerentur, filios equis praemisit, qui consecuti illos pronunciarent, ut essent bono animo atque suam quisque abirent domum. Ita tertium occupavit tyrannidem.[1])

Multa acerba expertus atque malis edoctus acriores reipublicae moderandae rationes iniit, quae eaedem aptissimae essent ad stabiliendam tyrannidem. Magnum enim numerum auxiliorum conducticiorum aluit atque non solum ex magnis pecuniis privatis, quae ex metallis apud Strymonem fluvium redibant, sed etiam ex novis vectigalibus, quum decima fructuum solveretur, aerarium constituit, quod sibi semper suppeditaret ad usum.[2]) Adversarii autem alii illo

---

1) Her. 1, 62 sq. cf. Polyaen. 1, 21, 1. de Amphilyto cf. Plat. Theag. p. 124 D. Aristid. II. p. 22. Craut. Valcken. et Baehr. ad Her. l. c. Schol. Arist. Ach. 234.

2) Her. 1, 64. Verba eius *τῶν μὲν αὐτόθεν, τῶν δὲ ἀπὸ Στρυμόνος ποταμοῦ συνιόντων* de *χρημάτων συνόδοισι* solis neque *τῶν δὲ — ποταμοῦ* de *ἐπικούροισι πολλοῖσι* dici (cf. Grot. h. Gr. IV. p. 152.) quum ex sententia ipsa manifestum est, tum ex grammatica verborum ratione plane apparet. Namque verba *τῶν μὲν συνιόντων* non genitivi absoluti sunt, quibus quidem post illos dativos, quum eorum vis his genitivis accuratius explicaretur, scriptor nimis audacter usus esset, sed per appositionem pertinent ad genitivum *χρημάτων*. Neque vero satis apte dici potest *συνιέναι* de adventu auxiliorum, sed certe Herodotus tum dixerit *ἀπικνέεσθαι*. Cf. 1, 61 extr. Contra verbum *συνιέναι* ap. Her. alias etiam de pecuniarum reditu dicitur (cf. 4, 1.) atque pro sua vi ad *χρημάτων συνόδους* spectat. Iam vero Pisistrato a Strymone pecunias rediisse, non incredibile est, quamquam de possessione illius privata in his regionibus alias nihil nobis traditum est. Montes autem illi fluvio finitimi, imprimis Pangaeus, et ad Prasiadem lacum siti, per quem Strymon fluit, antiquitus celeberrimi erant et auri et argenti metallis. Cf. 5, 17. 6, 46. 7, 112. Ita quibus ex subsidiis illae exsulantis Pisistrati opes profectae sint, perspicuum fuerit. Neque vero longe a veri similitudine recedere mihi videntur, qui verba *τῶν μὲν αὐτόθεν* ita interpretantur, ut iam Pisistratum Laurii metalla coluisse censeant.

proelio ceciderant, alii cum Alcmaeonidis Athenis excesserant, aliorum, qui remanebant, liberos servandae quietis obsides cepit atque Naxum abductos — hanc insulam enim bello subactam Pisistratus Lygdami concesserat — huic tyranno custodiendos tradidit.[3]) Quin per simulationem lustrationis Alcmaeonidarum domos solo aequasse mortuosque eorum erutos ultra fines proiecisse dicitur.[4]) Ceterum de eius ratione civitatis administrandae per hoc temporis spatium paene nihil apud rerum scriptores invenimus, sed hac de causa nihil habemus, cur tum eadem modestia atque iustitia ac prius eum usum esse negemus. Atque ea, quae Herodotus[5])

Haec enim iam ante Themistoclem culta esse satis constat. Her. 7, 144. Illud autem, quod in Pisistrati epistola ad Solonem data quamvis subdita ap. Diog. 1, 53. legimus, Athenienses decimas frugum suarum solvisse, defenditur eo, quod exstat ap. Suid. s. *σφακελισμός* et Zenob. 4, 76. et Append. 2, 66. Mant. prov. 1, 76. de duodecima dicitur. Cf. Diodor. exc. Vat. p. 30, 23. Procop. in Villois. anecd. II. p. 40. Non sine ulla causa haec fabula ficta atque inde proverbium natum videtur, sed plane congruit cum acrioribus consiliis, quae ad confirmandas suas opes initio tertiae tyrannidis ille ineunda esse putabat. Atque ad castigandos divites imprimis, quippe qui in adversis plurimum valebant factionibus, illud compositum esse videtur. Itaque hoc vectigal tamquam multam imposuit adversariis. Ceterum non multo post Athenienses, nescio an ab ipso Pisistrato, sed certe ab eius filiis, ita levati sunt, ut vicesimam tantum solverent auctore Thucydide (6, 54.), qui quidem hoc loco *τυράννους τούτους* proprie Pisistratum et Hippiam solum dixerit an minus accurate illius filios ita appellaverit recte dubites. Namque is tyrannos h. l., ubi de illius filiis narrat, totam Pisistrati familiam vocat ideoque eos etiam, qui non vere erant tyranni. Cf. 6, 53 *τὴν Π. καὶ τῶν παίδων τυραννίδα*, 54. *οὐδὲ γὰρ τὴν ἄλλην ἀρχὴν ἐπαχθὴς ἦν* sc, Hipparchus.

3) Her. 1, 64. Schol. Arist. vesp. 355. Lygdamim, quum Pisistrato auxilio veniret, nondum tyrannum fuisse, colligere licet ex Her. 1, 61 extr. Itaque Pisistratus grato animo paulo postquam tertium rerum potitus est, eum tyrannidem occupaturum adiuvisse videtur. Lygdamis postea expulsus est Lacedaemoniorum opera. Plut. d. Her. mal. 21. p. 859 C. Cf. Arist. pol. 5, 5, 1. ap. Athen. 8. p. 348 C. Polyaen. 1, 23, 2.

4) Isocr. d. big. c. 10. Idem factum est primum Solonis tempore ante Epimenidis lustrationem. Plut. Sol. 12, 18 sq. atque Cleomenis opera paulo post exactos tyrannos. Thuc. 1, 126 extr., quo auctore bis tantum ii lustrationis causa expulsi videntur. Cf. Andoc. d. red. §. 26.

5) 1, 59 extr.

tam bene existimans de prima tyrannide protulit, non solum ad hanc dominationem pertinere, sed de omni eius imperio dici mihi videntur. Itemque totum rerum statum, qualis et Pisistrato et filiis usque ad Hipparchi caedem fuerit, exposuisse videtur Thucydides eo loco, ubi Hipparchi caedem narrans, ii ut tyranni erant, inquit, plerumque virtutem atque prudentiam praestabant. Praeclare enim et rempublicam administrabant et bella conficiebant et sacris operam dabant. Ceterum civitas ipsa leges antea constitutas exercebat illis hoc unum providentibus, ut sui semper essent in magistratibus.[6]) Omninoque et Hippias et Hipparchus in negotiis et publicis et privatis non tam sua instituta tenuisse quam viam a patre traditam persecuti videntur. Quae ratio de belli pacisque consiliis inter Pisistratum exterasque civitates hoc tempore fuerit, omni paene veterum scriptorum auctoritate destituti nihil afferre possumus nisi hoc unum, cuius mentionem Herodotus per occasionem inchoat. Quo illum quidem hac etiam in re bene et dignitati et commodis Atheniensium consuluisse satis demonstratum fuerit. Sigeum iam antiquitus magni certaminis causam Atheniensibus et Mytilenaeis Periandro arbitro illis addictum esse supra dictum est.[7]) Postea autem quum discordiis civilibus turbaretur Atheniensium respublica in Mytilenaeorum potestatem redactum est. Quae quum ita essent, Pisistratus quum detrimentum acceptum sarturus tum maxime suae familiae ad omnes vitae casus subsidium receptaculumque paraturus arma movit adversus Mytilenaeos. Sigeum quum re prospere adversus eos gesta recuperasset, Hegesistrato filio non legitima uxore Argiva nato administrandum defendendumque ab hostium incursionibus tradidit.[8]) Itaque quum Chersonesus Thracia Sigeis littoribus adversa a Miltiade Cypseli filio in Atheniensium potestatem redacta

---

6) 6, 54. cf. Paus. 1, 23, 1. Ex Polyaeno (5, 14 med.) apparet Hippiam vel potius Pisistratum piraticae tollendae etiam operam dedisse.

7) III. 22.

8) Her. 5, 94. Hoc bellum prima aut secunda gestum esse tyrannide non credibile est quum ea de causa, quod iis locis, ubi de illius auxiliis opibusque externis ante tertiam tyrannidem referunt scriptores, Sigei nulla mentio fit, tum maxime quod per brevitatem primae et secundae tyrannidis illi non modo bella externa gerere, sed ne domi quidem opes suas confirmare licuit.

esset, nihil abfuit, quin Athenienses Hellespontum, claustra Propontidis et Ponti Euxini, in sua potestate haberent. Quamquam enim in his regionibus Miltiades et qui in eius locum succedebant atque Hegesistratus summum imperium tenebant — tyranni autem vocabantur[9]) — Pisistrato tamen et post eum Hippiae adversus eos quippe ab illis rerum agendarum potestate instructos summam imperii fuisse putandum est.[10]) Domi omnia, quibus maxime ad novas res moliendas homines excitantur tollere studuit. Ne nimia aut deses multitudo in urbem conflueret, ad agros colendos imprimis Athenienses impulit atque Solonis legem de castigandis desidiosis renovasse videtur.[11]) Ad id ipsum liberalissime iumentis seminibusque datis pauperum angustiis subvenisse itemque oleas serendas curavisse fertur.[12]) Eadem benignitate in cives usus est quum neque praediis neque hortis suis custodes apponeret, sed cuivis fructum ex iis permitteret.[13]) Solonis rogationem de Thersippo imitatus legem tulit, ut qui bello manci ac debiles facti essent, publice alerentur.[14]) Sed praeterea id imprimis, ut magis magisque a rebus publicis gerendis abalienaretur populus atque civitas ad unius arbitrium converteretur, hos tyrannos spectasse facile apparet.[15]) Iam vero

9) Her. 5, 94. 6, 34. 36. 104. 4, 137.

10) Cf. Her. 6, 39. ubi Miltiadem Stesagora mortuo a Pisistratidis Chersonesum missum esse narrat.

11) Plut. Sol. 31. Theophrasto auctore Pisistratus hanc legem tulit. Alii eam Soloni tribuunt. Her. 2, 177. Diod. 1. 77. Diog 1, 55. alii a Dracone repetunt velut Lysias in oratione contra Niciam scripta. Diog l. c. Plut. Sol. 17. Poll. 8, 42. Neque abhorret a Dracone, qui leges tulit ad confirmandam nobilium dominationem. Namque plebem vexare, inquit Aristoteles (pol. 5, 8, 7.), et ex urbe submovere commune est oligarchiae et tyrannidis. Cf. Menag. ad Diog. l. c. Dio Chrys. 7. p. 258. Itemque Periander Corinthiorum et Gelo Syracusanorum tyrannus populum labore districtum tenere studuerunt. Nicol. Dam. frg. 59. Did. Heraclid. d. reb. publ. 5. Did. Plut. apophth. reg. p. 175 A.

12) Aelian. v. h. 9, 25. Dio Chrys. l. c. 25. p. 520 sq. Max. Tyr. diss. 29, p. 76.

13) Athen. 12. p. 552 A.

14) Heraclid. ap. Plut. Sol. 31, 12. Cf. Westerm. ad h. l.

15) Quadecausa Aristophanes quum dicere vellet, Athenienses pro civibus agricolas tantum et servos fuisse illo tempore, eos ait κατωνάκην quam dicunt gessisse atque a Lacedaemoniis liberatos et hac veste exutos esse. Lys. 1150 sq. κατωνάκη autem

firmissimum sui imperii praesidium concordiam cum suis esse putavit. Quadecausa filiorum voluntati obsequi quam cum iis dissidere maluit.[16]) Atque amicorum animos quum ab eo defecissent, facilitate flecti quam severitate frangi quum tutius tum facilius esse putabat.[17]) Adversus cives eadem clementia atque iucunda humanitate fuit tyrannus, quae laudabatur in eo, quum Diacriorum causam defenderet.[18]) Suavissimis fabellis apud posteros hac in re eius memoria celebrabatur, quarum hanc unam affere mihi liceat. Adolescens quidam Thrasybulus quum amore accensus filiam illius virginem in publico obviam sibi factam osculatus esset, hortantibus filiis, ut poenas ab eo sumeret, respondit: si eos qui nos amant supplicio persequimur, quid his faciemus, quibus in odio sumus?[19]) De his narratiunculis num verae sint fortasse dubitaveris, neque hoc loco alicuius id momenti est, sed ex iis, quae de illo homines narrant, satis colligere tibi licet, qualem se praebuerit hominibus. Omninoque quum eorum, quae Aristotele auctore[20]) intersunt inter regem et tyrannum, rationem habeamus, multo magis eum ad regis quam tyranni similitudinem accedere, facile intelligimus. Itaque ab Eupolide comico in Pagis ille tamquam rex inductus esse fertur.[21]). Dignus denique quibusdam visus est, qui inter sapientes numeraretur.[22]) Ita in eum Mysonis dicta propter eius obscuritatem conferebant.[23])

---

fuit vestitus rusticis et servis usitatus. Eccles. 723 sq. Cf. Poll. 7, 68. Perperam igitur scholiasta ad Arist. Lys. 619. interpretatur, Hippiam Athenienses coegisse, ut κατωνάκας gererent. Quum illos ad agriculturam impelleret, hoc per se ipsum factum est. Cf. Suid. Hesych. s. κατωνάκη.

16) Plut. quaest. conv. p. 613 F. Macrob. sat. 7, 1.

17) Plut. apophth. reg. p. 189 B.

18) Cf. Senec. d. ir. 3, 11. Macrob. sat. 7, 1.

19) Diod. exc. Vat. p. 30, 15. Plut. l. c. C. Val. Max. 5, 1 ext. 2. Polyaen. 5, 14. illum Thrasymedem vocat atque copiosius rem exponit. — Itemque iis, qui quum ebrii in uxorem petulantius invecti essent, veniam flagitabant, respondit: vos quidem in posterum date operam modestiae, mea uxor heri nusquam prodiit. Plut. l. c.

20) Pol. 5, 8, 6.

21) Suid. s. βασιλεὺς μέγας. Schol. Arist. Ach. 61.

22) Diog. 1, 122.

23) Id. 1, 108.

XI. Iam progressi sumus in narrandis rebus a Pisistrato gestis eo, ut describamus eius curam atque operam, qua maxime haec tyrannis nobilitata est. Principia splendoris et amplitudinis, qua postea Athenae floruerunt in artibus elegantibus et ingenuis repetenda sunt ab illius aetate. Filii autem, quae a patre inchoata et instituta sunt, persequebantur. Qua de causa facere non possumus, quin omnia, quae hac in re et Pisistratus et filii fecerunt, hunc in locum conferamus. Pisistratus quum sub sua dominatione vel splendidissimas vellet Athenas, opere magnifico templa exstruxit. Celeberrimum Iovis Olympii templum in urbis meridionali parte, ubi in orientem solem spectat, situm [1]) quod in circuitu quattuor fuit stadiorum, Pisistrato tyranno inchoatum est primum ab architectis Antistate, Callaeschro, Antimachide, Porino. [2]) Propter immensam molem Aristoteles hanc aedem in eorum operum numerum rettulit, quae sicut pyramides suscepta essent ad occupandum affligendumque populum. [3]) Fanum Apollinis, quod Pythium vocabatur, in urbe sacravit [4]) atque in eo Pisistratus Hippiae filius, quum archon factus esset, aram Apollini dedicavit, qui idem in foro eodem tempore aram duodecim deorum exstruxit. [5]) Religionis et communis utilitatis ornatusque causa Hipparchus Hermas, Mercurii statuas viales, media in urbe atque mediis in Atticae

---

1) Thuc. 2, 15.

2) Multo post quum vel felicissimis Atticae temporibus opus omissum iaceret, rex Antiochus Epiphanes denuo magnificentissime templo perficiendo operam dedit. Postquam Sulla columnas ex eo avexit Romam ad ornandum Iovis Capitolini templum, quum imperatore Augusto reges amici atque socii communi sumptu aedem perficere destinavissent, Hadrianus denique eam perfecit atque sexcentesimo sexagesimo quinto circiter anno quam fundamenta iacta erant dedicavit. Vitruv. prooem. l. VII. Plin. 36, 6. Suet. Aug. 60. Paus. 1, 18, 6. Spartian. Hadr. 13. Cf. Dicaearch. vit. Gr. p. 165—167. ed. Fuhr. Gran. Licin. p. 9 extr. ed. Bonn. hept. Leake topogr. Ath. p. 133 sq. 415 sq. 470. Hirt. hist. archit. I. p. 225. Mueller. archaeol. §. 80, 4.

3) Pol. 5, 9, 4.

4) Suid. Phot. s. Πύθιον. Hesych s. ἐν Πυθίῳ χέσαι. Apost. 7, 17. Append. 2, 66. Cf. Leake top. Ath. p. 210.

5) Thuc. 6, 54. Cf. Her. 6, 108. Itaque Pisistratus nepos archon fuit ante Ol. 65, 2. a. C 519. Thuc. 3, 68. Cf. Leake t. A. p. 127. De statua Bacchi, quae Pisistrati tyranni similitudinem reddidit; cf. Athen. 12. p. 533 C.

pagis ponendos iisque brevia morum praecepta insculpenda curavit.[6]) Opera ad communem utilitatem accommodata complura exstruxerunt hi tyranni: quo facilior esset aquatio urbanis, scaturigines Calirrhoes, cuius aqua ad caerimonias quasdam praecipue velut ad lavationem nuptialem uti solebant, in muros incluserunt fontemque ita instruxerunt, ut ex novem fistulis aqua profflueret. Ex hac structura fons denominatus est Enneacrunos.[7]) Iam vero institutis civitatis, quae ad corporis exercitationem spectabant, imprimis consuluerunt neque suspicabantur iuventutem de vigore atque robore sicut Polycrates.[8]) In Lyceo loco Apollini sacrato, qui ad orientem versus ab urbe situs est, Pisistratus Theopompo auctore gymnasium constituit.[9]) Itemque Hipparchus Academiam muro circumdedisse fertur magno Atheniensium sumptu.[10])

Eadem magnificentia aliis etiam in rebus elucebat, quae quidem Atheniensibus subdererent spiritus suique admirationem adversus exteras gentes et efficerent, ut peregrini, quantum in illis essent, sentirent. Ludos sollemnes opulentius instructiusque quam prius celebrabant. Panathenaea, quae annua fiebant, quaeque quum certaminibus equestribus Hippoclide archonte[11]) gymnica accessissent, amplificata erant,

---

6) Plut. Hipprch. p. 228 D. sq. Hermae autem erant lapideae statuae infra quadratae superimposito Mercurii capite, quae fuit antiquissima apud Graecos statuarum forma. Thuc. 6, 27. Duk. ad. h. l. Menag. ad. Diog. L. 5, 82. Hipparchus sinistra statuae parte inscripta Hermam ipsum tamquam loquentem fecit, media in urbe et pago positum se esse, in dextra parte scriptum erat nomen Hipparchi et praeceptum quoddam velut *μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· στεῖχε δίκαια φρονῶν* vel *μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα.* Plat. l. c. Ceterum hoc loco, quod Hipparchus illis praeceptis vellet, in maius elatum est. Cf. Harpocr. s. *Ἑρμαῖ.* Philoch. frg. 69. Apostol. 17, 23. Fragmentum talis tituli servatum videtur ap. Boeckh. C. F. I. p. 31 sq.

7) Thuc. 2, 15. Paus. 1, 14, 1. Duker. ad Thuc. l. c. Aphthon. prog. p. 280. ed. Francf. Leake top. Ath. p. 135 sq. 456.

8) Athen. 13. p. 602 D.

9) Phot. Harpocr. Suid. s. v. Schol. Lucian. pisc. 52. p. 100. Iacob. Fuhr. Dicaearch. p. 169. Leake t. A. p. 211.

10) Suid. s. *τὸ Ἱππάρχου τειχ.* Apost. 17, 8. Gregor. Cypr. 3, 81. Leake p. 328.

11) Ol. 53, 3. a. C. 566. Cf. Marcell. v. Thuc. 3. Clint. f. H. s. a. 566.

quinto quoque anno [Pisistratus primus] tanto apparatu instruxisse videtur, ut inde ab hoc tempore discernerent Panathenaea maiora, quae quinto quoque anno concelebrabantur, a minoribus, quae annua manebant.[12]) Item et reddendi diis debiti honoris religione impulsus et principatus inter Iones Atheniensibus vindicandi gloria ductus restituere studuit societatem, quae inter omnes Iones facta pertinebat ad communem Apollinis Delii cultum. Ad id ipsum Delum insulam mortuis erutis atque remotis, quocunque oculi conspectum templi ferebant; ex oraculi responso lustravit. In sacra enim insula Apollinis partum edere aut mortuos sepelire nefas esse putabant.[13]) Ex iis quae Thucydides[14]) attulit de secunda Deli lustratione colligere nobis licet, Deliorum sollemne ludicrum a Pisistrato lustro peracto instauratum esse. Iam antiquitus enim in hanc insulam celeberrimum coetum Ionum et insulanorum proximorum fuisse supra dictum est.[15]) Spectatum veniebant cum liberis atque coniugibus. Ludi enim celebrabantur et gymnici et musici et choros praebebant atque sacrificia faciebant civitates. Pisistrati autem aetate, sicut postea iterum factum est, fortuna adversa de pristino splendore ludi Delii aliquanto deminuti videntur.[16]) Ex eodem in ludorum magnificentiam studio nata est illa cura in Homeri carminibus colligendis posita, quamobrem Pisistratus totius antiquitatis fama celebratus est. Quod quidem meritum quale fuerit quantique sit aestimandum hodieque doctissimi quique viri disceptant atque dissentiunt. Nostrum est eam rem paucis tantumque exponere quantum summa totius huius opusculi postulare videtur, ne longius nos ab incepto trahat.

Ad equestria et gymnica certamina, quibus Graeci festos dierum dies amplificare solebant, iam antiquitus musica quaedam accesserunt, sicut de ludis Deliis atque Panathenaeis supra dictum est. Vetustiore autem aetate, qua solius fere epicae poesis carminibus populus delectabatur, summa admiratione et gratia eorum qui audiebant floruerunt rhapsodi,

12) Schol. Aristid. p. 323. Dind. cf. Meier. in Ersch. et Grub. encycl. litt. s. Panathenaeen. p. 278.

13) Her. 1, 64. Thuc. 3, 104. Plut. apophth. Lac. p. 230 D.

14) 3, 104.

15) III. 6.

16) Thuc. l. c. Hom. h. Apoll. 157 sq.

qui populorum conventus regumque epulas obire atque propria et quum aliorum tum maxime Homeri carmina recitantes contendere inter se solebant. Quod quum aliis Graeciae locis tum Braurone[17]) et Delo[18]) et Athenis[19]) factum esse compertum habemus. Rapsodos autem quamvis continua exercitatione adiutos et summa memoriae capacitate praeditos et multis aliis immutatis et suis versibus inculcatis pristinam sinceramque carminum formam corrupisse et re ipsa et illa Solonis lege intelligere potueris, qua cantum est, ut illi altero verba suggerente ex scripto scilicet recitarent carmina.[20]) Neque vero id solum ex hac lege colligere nobis licet, sed id etiam, quod multo maius est, plane apparet, iam ante Solonem Homeri carmina literis mandata exstitisse. Itemque Athenienses et Megarenses, quum de Salamine contenderent atque in suas utrique partes Homeri sententiam trahere vel-

---

17) Festis Dianae et Liberi diebus Hesych. s. *Βραυρωνίοις*.

18) Ludis Apollinaribus. Thuc. 3, 104.

19) Panathenaeis. Plat. Hippochrch. p. 228 B. Ion. p. 530 B. Isocr. Paneg. 74. Lycurg. c. Leocr. 161.

20) Diog. 1, 57. *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι*. Is, si quidem locus integer est, hoc *ἐξ ὑποβ.* idem esse putavit atque illud *ἐξ ὑπολήψεως* *ὑποβολὴ* de subiicienda oratione intelligitur cf. G. Hermanni opusc. V. p. 300 sqq. VII. p. 65 sqq. Quod vero hanc legem vitia, quae in recitatione memoriter tantum facta inesse solent, tollenda spectasse apparet, simul in illo *ἐξ ὑποβ.* cogitandum est de exemplari, quod suberat recitationi: namque alterum rhapsodum, qui memoriter verba subiiceret alteri, ad hanc rem adhibitum esse satis incredibile est, quoniam sic vitium vitaturus Solon in idem vitium incidisset. Similiter dicitur *ἐξ ὑποβολῆς ὀμνύναι* Polemo ap. Macrob. sat. 5, 19. cf. Xen. Cyrop. 3, 3, 37. Certum quoddam exemplar, ad quod rhaspsodi recitarent, hac lege mihi non constitutum videtur, itemque nescio an *ὑποβολεύς* non publice datus sit, sed optio utriusque eligendi permissa sit ipsis rhapsodis. Ante enim quam exemplar tamquam publice comprobatum exstitit, facile fieri non potuit, ut certum quiddam hac in re praeciperetur. Solon id tantum sicut alias curasse videtur, quod maxime necessarium videbatur, atque posteris rationem demonstravit, qua omnino emendanda esset recitatio carminum epicorum. Ad hanc sententiam id maxime quadrat, quod simillimum huic rei de tragicis poetis postea decretum est. Illam legem enim imitatus videtur Lycurgus orator, qui rogationem tulit, ut Aeschyli, Sophocli, Euripidis tragoediae publice exscriptae servarentur easque scriba civitatis legeret, quum agerentur, verba histrionum cum scripto comparans, neve aliter eas agi liceret. Plut. dec. oratt. p. 841 F.

lent, non memoria rhapsodorum sola nisi esse videntur.[21]) Ars scribendi autem quamvis a communi vita remota, Graecis tamen iam pridem haud ignota fuerit necesse est, quoniam Phoenices, quibus illos literas debere satis constat, iam mature Aegaei maris imperio pulsi fuerunt. Ceterum literae antiquitus usitatae erant in oraculi responsis, quod propria verbi *χράω* significatione ostenditur.[22]) Iam vero quum rhapsodi inter se contenderent, non totum unum quemque carmen recitando persecutum esse facile apparet, sed complures, quum alius alii succederet, universum carmen recitasse vel, quod saepissime factum est, alius alias rhapsodias cecinisse videntur.[23]) Quo quidem facile factum est, ut singulares rhapsodiae ita permiscerentur, ut totius carminis tenor penitus corrumperetur.[24]) Quod quum accidisset Hipparchus constituit, ut in recitandis Homeri carminibus alius alium servato carminis tenore exciperet.[25]) Neque autem Ilias et Odyssea tunc sola Homeri carmina habebantur, sed alia etiam epici generis, quae quum poetarum nomina, a quibus condita sunt, oblivione obruta essent, *ἀδέσποτα* facta erant, a rhapsodis velut Cypria, Epigoni,[26]) Thebais,[27]) hymni

---

21) Cf. Ritschl. bibl. Al. p. 67.

22) G. Grotius hist Gr. II p. 200. suspicatus est septimo saeculo medio, quo Terpander, Callinus, Archilochus, Simonides Amorginus alii floruerunt, quo non tam aetas heroica quam vita praesens carminibus celebrabatur atque Aegyptus tunc patefacta Graecis mercatoribus papyros suppeditabat ad scribendum, epica carmina primum literis consignari coepta esse.

23) Cf. Dionys. Argiv. in schol. Pind. Nem. 2, 1.

24) Wolf. prol. p. 141. Ritschl. bibl. Al. p. 68 sq.

25) Plat. Hipprch. p. 228 B. *ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι. ὑπόληψις* est susceptio sermonis quum alter priori in dicendo succedit. Cf. Herm. op. V. p. 301. Ita responsionem etiam et refutationem significat (Isocr. 11, 30.) atque verbum *ὑπολαμβάνειν* sermone alicuius suscepto respondere. Her. 1, 11. 7, 101. Thuc. 5, 85. saepius ap. Plat. — *ἐφεξῆς* ad argumentum, non rhapsodorum ordinem referendum est. Cf. Plat. Phaedr. p. 228 D. *τὴν διάνοιαν ἐν κεφαλαίοις ἐφεξῆς δίειμι ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ πρώτου.* Isocr. 4, 26. *ἐφεξῆς διελθεῖν.* Idem significant verba *ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον,* quibus Diog. 1, 57. perperam interpretatur illud *ἐξ ὑποβολῆς.*

26) Cypria Her. 2, 117. plane Homero abiudicat, de Epigonis (4, 32.) dubitat num Homerus auctor sit.

27) Paus. 9, 9, 3. testatur iam Callinum elegiacum poetam atque multos et graves viros Thebaidem addixisse Homero. Her.

quos dicunt,[28]) Homeri nomine ferebantur. Inde ab Herodoti aetate demum, quae praeter Iliadem Odysseamque Homeri carmina ferebantur, illius poetae esse negare coeperunt. Quod quidem animum tenendum est, ut iuste aestimetur Pisistrati in Homerum meritum, quod praedicavit tota antiquitas. Epigramma enim in basi statuae Pisistrati incisum eum praedicantem facit, se Homerum collegisse, cuius carmina prius dispersa canerentur.[29]) Reliqui omnes fere idem senserunt, qui huius rei mentionem fecerunt. Ceterum hac in re monendum est, omnium horum auctorum neminem esse, qui Pisistrati aequalis fuerit aut omnino aetate prope abfuerit ab illo, sed vel vetustissimum eorum Ciceronem quingentorum prope annorum spatio ab illius aetate disiunctum esse. Quamquam Pausaniae qui quum alias harum rerum bene peritus videtur,[30]) tum et Hesiodi et Homeri aetatem accuratissime sese investigasse profitetur,[31]) fidem derogare non possumus. Is Pisistratum Homeri carmina, quae disiecta fuissent et alibi memoria ferrentur, collegisse tradidit.[32]) Sin autem his verbis id, quod Cicero dicere videtur, dici voluisset, illum Homeri r h a p s o d i a s disiectas antea et aliis locis vulgatas sic disposuisse, ut Iliadem et Odysseam conficerent, parum accurate et satis perplexe locutus esset atque alii, qui fere iisdem verbis utuntur. Iam vero Pausanias haud ignorabat, Homero antiquitus alia carmina velut Thebaidem addicta esse atque sibi ipsi hoc carmen maxime secundum Iliadem et Odysseam probabatur. Quae quum ita essent, eo plus causae haberet necesse fuit, cur illo parum accurate dicto uti dubitaret. Reliqui, qui hanc rem fere iisdem verbis narrant velut Libanius,[33]) Suidas, incertus auctor apud Leonem

---

5, 67. ubi rhapsodos a Clisthene tyranno quum bellum gereret cum Argivis, Homeri carmina Sicyone recitare, quippe quod Argivorum laudes praedicarent vetitos esse narrat, nulla alia poemata dixisse videtur nisi Thebaidem et Epigonos, quibus illorum Septem eorumque filiorum bella adversus Thebas celebrabantur. Cf. Grote hist. Gr. II. p. 173. adn. 21.

28) Thuc. 3, 104.

29) Anonym. ap. Leon. All. d. patr. Hom. c. 5.

30) Cf. 9, 9, 3. 1, 22. 10, 38.

31) 9, 30, 2.

32) 7, 26, 6.

33) Pan. in Iul. I. p. 170.

num ita haec verba a maioribus accepta intellexerint, recte dubites. Quibus de causis negocium quod Pisistrato tribuitur vel potius eo auctore a quattuor viris harum rerum peritissimis, Onomacrito Atheniensi, Zopyro Heracleota, Orpheo Crotoniata, Conchylo factum esse fertur,[34]) non in singularibus colligendis et in Iliadis Odysseaeque formam componendis versabatur, sed colligendis illi viri operam dabant iis carminibus, quae quibusdam in regionibus, e quibus saepius nominabantur velut Cypria, Naupactia, prae ceteris recitari atque Homeri nomine ferri solebant.[35]) Quae quum ita essent, postquam Iliadi et Odysseae, quae Platonis Aristotelisque temporibus solae Homeri esse putabantur, sensim cetera carmina ita dignitate cedere coeperunt, ut apud multos imprimis his studiis minus imbutos plane eorum memoria oblivione obrueretur, facile fieri potuit, ut Cicero,[36]) Aelianus,[37]) complures grammatici indocti,[38]) quum fama ferret, Pisistratum Homeri carmina collegisse, putarent Iliadem et Odysseam id est earum rhapsodias illum primum collegisse atque in eum ordinem redegisse, quo nunc leguntur. Quorum imprimis testimonio nimis confisus Wolfius Pisistratum rem novam inducentem facit, quae illa rerum Graecarum aetate, ut provectior erat, numquam omnium Graecorum communem opininionem, quae, quum per complura saecula haec carmina recitarentur, penitus in animis insideret necesse fuit, superare, ne dicam adeo exstinguere potuisset, ut vix pristinae formae memoria apud posteros remaneret. Atque Pisistrato quippe hoc perficienti potentiam nescio an tribuerimus, quae humanas opes multo superavit atque illorum virorum, qui non tam sua sponte et animi inflammatione incitati quam a tyranno artium liberalium studioso iussi his poematis operam dederunt, quorum summa admiratione omnes posteri

34) Schol. Plaut. ed. Ritschl. p. 4. Prolegg. d. comoed. 8, 22. ed. Bergk. Cf. de his viris Bernhardy. hist. litt. Gr. I. p. 270. 275 sq. 365. II. 1. p. 89 sq. Nomen postremum latine scriptum est Concyli, in schol. Gr. plane mutilatum est.

35) Cf. Ulrici hist. poes. gr. I. 403.

36) d. or. 3, 34.

37) v. h. 13, 14.

38) ap. Wolf. proll. 147 sq.

penitus commovebantur, merito atque ingenio nimium assignaverimus, quocum minime conveniunt, quae praeterea de his viris imprimis Onomacrito a veteribus tradita sunt. — Neque vero ea sola hi viri respexisse videntur, quae iam literis consignata passim exstabant, sed eorum etiam rationem quandam habuisse feruntur, quae memoria comprehensa quippe vel optimorum rhapsodorum servabantur. Namque libros, quos ad hanc curam adhibebant, valde inter se discrepuisse consentaneum est, quoniam carmina satis multum temporis memoria sola servata atque, quum paulo magis ars scribendi in usum venire coepisset, alias ab aliis rhapsodis perscripta erant sine ulla consiliorum communione. Itaque ad has tollendas difficultates optimorum rhapsodorum consilia expetenda videbantur.[39]) His in carminibus nimirum quaedam immutaverunt et receperunt, quae aliena a recepta et genuina horum carminum forma Alexandrinis criticis videbantur. Ita Doloniam illos quidem in Iliadem inclussisse atque e republica Atheniensium interpolasse quosdam versus veterum testimonio confirmatum est.[40]) Atque hanc editionem, ut ita dicam, quum eidem operi alii post Pisistratum manum admovissent, multis locis discrepuisse ab ea, quam Alexandrini perfecerunt, quum iis, quae de eorum opera in scholiis adnotata sunt, tum iis locis edocemur, qui a Platone atque aliis ex Homero laudantur.[41]) Quamquam ex his omnibus, quum summam totius operis contemplamur, non difficile est ad intelligendum, quid hac cura Pisistratus voluerit. Viam a Solone traditam persequens certo exemplari proposito penitus in posterum praecidit rhapsodis recitandi licentiam, itemque magnam et molestam varietatem, quam quum in libris tum in hominum memoria singulos locos etiamtum obruisse consentaneum est, quam maxime potuit ad veram et pristinam simplicitatem revocare eoque scripturam ita constituere studuit, ut expe-

---

39) Ex eo quod pro illo tempore per se intelligitur, fabula Diomedis cuiusdam manasse videtur, quae exstat ap. Villois. an. Gr. II. 182 sq.

40) Cf. W. Mueller, progymn. Hom. p. 77 sq.

41) Wolf. proll. 37 sq. 151 sq. De hac Homeri editione, quod ab Alexandrinis nulla eius mentio facta est, in diversas sententias viri docti discedunt. Ritschl. bibl. Al. p. 58 sq. eam Alexandrinis tamquam vulgatam subfuisse putat in recensendis carminibus. Cf. Wolf. proll. 150 sq. Grote hist. Gr. II. p. 212.

ditior esset ad legendum.[42]) Omninoque hoc Pisistrati meritum de Homero ex iisdem fere causis profectum mihi videtur atque illud de lustranda Delo et instaurandis ludis Apollinaribus. Atque nescio an haud magnum temporis spatium inter utrumque interiectum sit. Pro sua erga deos pietate atque magnificentiae studio sane multum habuit, cur divino poetae, qui plurimum conferret ad celebrandos Athenis Minervae, Deli Apollinis festos ludorum dies, summam rationem haberet. — Aliquantum igitur inter hanc operam atque Homeri pertractationem ad modum criticorum Alexandrinorum imprimis Aristarchi vel nostratium interest, et Pisistrati, vel potius illorum quattuor virorum in Homerum merita eadem fere sunt, quae Lycophroni Chalcidensi de coemoediis, Alexandro Aetolo de tragoediis, Zenodoto Ephesio de epicis carminibus colligendis tamquam in unum corpus, quum Alexandrinae bibliothecae conderentur, tributa sunt.[43]) Neque unius Homeri quae ferebantur carmina collegisse videntur, sed Hesiodo etiam opera data est.[44]) Namque praeter Homerum Hesiodi et aliorum iambici generis carmina velut Archilochi et Simonidis Amorgini rhapsodi recitare solebant.[45]) Eodem sane referendum est, quod Gellius[46]) de prima Atheniensium bibliotheca a Pisistrato condita commemoravit. Vaticinatonum quoque, quae fabulosorum vatum nominibus Musaei et Bacidis circumferebantur, ita appetentes hi tyranni fuerunt, ut Pisistratus Bacis cognomine nempe cum irrisione vocaretur et Hipparchus Onomacritum familiarem suum et oraculorum studiosum Musaeique compositorem, quum a Laso deprehensus esset in adulterandis Musaei oraculis, Athenis expelleret.[47]) Iam vera tragoediae incunabula

---

42) Cf. Schol. Plaut. p. 4. med. Bernhard. h. litt. gr. II. 1. 93.. Ritschl. bibl. Al. p. 53. 70 sq.

43) Schol. Plant. in. Prolegg. d. com. 8, 19. ed. Bergk Ritschl. b. A. p. 10 sq. 17 sq.

44) Plut. Thes. 20. Cercops Milesius id fecisse videtur. Ritschl. b. A. p. 54 sq. Bernhard. II. 1. p. 232.

45) Plat. legg. 2. p. 658 D. Ion p. 560 B. 531. 532 A. Athen. 14. p. 620 C. Lycurgo auctore (c. Leocr. § 102.) vetustiore aetate Homeri carmina sola Athenis recitare debebant.

46) 6, 17. cf. Athen. 1. p. 3 A. Tertull. apolog. c. 18. Oehl. Isidor. orig. 6, 3, 3.

47) Schol. Arist. pac. 1071. Suid. s. v. *B.* Her. 7, 6. Cf. 1, 63. Paus. 1, 22, 7. de Hippia Her. 5, 90. 93.

prima his tyrannis exstiterunt. Thespis Ol. LXI. (a. C. 535.) Athenis fabulas docere coepisse fertur.[48]) Pisistrati filiorum autem Hipparchus imprimis artium liberalium studio nobilitatus est.[49]) Permagni aestimabat elegantissimorum hominum consuetudinem.[50]) Magnis praemiis Athenas invitavit Anacreontem Teium, Simonidem Ceum, quippe qui postea illius interfectores carmine celebravit,[51]) Orpheum Crotoniaten Lasum Hermionensem, quem primus dithyrambos in certamen vocasse dicitur.[52]) Itemque ab his tyrannis centum minarum mercede ab insula Aegina Athenas vocatus est Democedes Crotoniates, qui arte ceteros medicos multum superabat.[53]) — Sed de hac re satis dictum est, quantum quidem auctores veteres memoriae prodiderunt. Haec ferme Pisistrato tyranno domi militiaeque gesta sunt. Mortem obiit exactae aetatis[54]) (Ol. 63, 2. a. C. 527.). Regnavit decem et septem annos, bis expulsus exsulavit sedecim.[55]) Cum valida tum temperata belli et pacis artibus erat civitas. Tres fuerunt filii iuvenes iusta uxore nati Hippias Hipparchus Thessalus.[56])

---

48) Suid. s. v. Θ. Marm. Par. ep. 43. His repugnant Plut. Sol. 29 nxtr. Diog. 1, 60. Cf. Westerm. ad Plut. Sol. p. 88 sq.

49) Heraclid. rep. Ath. frg. 4.

50) Ita corrigenda est ap. Athen. 12. p. 552 F. Idomenei sententia, qui Pisistratidas ait invenisse epulas et comissationes. Apparatum eorum magnificum verba subsequentia corrupta certe spectare videntur.

51) Frg. 134.

52) Her. 7, 6. Plat. Hipprch. p. 228 C., quem exscripsit Aelian. v. h. 8, Suid. s. v. Ὀρφ. Κροτ. et Λᾶσος. Aristoph. vesp. 1410. Schol. Arist. vesp. 1403.

53) Her. 3, 131. Postero anno a Polycrate Samum invitatus atque postea apud regem Darium magno honore usus est.

54) Thuc. 6, 54. cf. Clint. s. a. 527.

55) Arist. pol. 5, 9, 23. Heraclid. d. rep. Ath. frg. 4.

56) Thuc. 1, 20. 6, 55. Plut. Cat. M. 24. Eo auctore Iophontem et Thessalum ex Argiva Timonassa, quam alteris filiis iam adultis in matrimonium duxit, suscepisse fertur. Quocum congruit quodammodo schol. Arist. vesp. 502. Lys. 619, ubi quattuor Pisistratidae commemorantur. Itaque Iophon praemature, certe ante Hippiam exactum mortuus videtur. In columna enim, in qua perscriptae sunt tyrannorum injuriae, ejus nomen non legisse videtur Thucydides. De Thessali moribus auctores inter se discrepant: Diod. exc. d. virt. p. 83 Dind. Heraclid. d. rep. Ath. frg. 4. cf. Theophr. h. pl. 2, 4.

VITA.

Carolus Guido Benno Alexander Haenisch IV. d. m. Ianuarii anno MDCCCXXXVIII. in Lusatiae superioris vico Silesiae finitimo (Grenzdorf) natus sum patre Carolo Augusto, matre Ioanna gentis Schmidtiae, quam ante hos viginti menses mortuam doleo. Fidem confiteor evangelicam. Primis Graecae et Latinae linguae elementis privatim instructus a diacono Gustavo Zuern inde a tertia classe adii gymnasium Gorlicense, cuius regimen tunc penes Antonium, mox Schuettium erat. Sex annis post examine superato civibus huius academiae exeunte mense Aprili anni MDCCCLVIII. adscriptus sum. Inde ab hoc tempore per octo semestria philologiae praecipue studiosus fui. Interfui et professorum amplissimorum Bernhardy et Bergk scholis, quae proprie ad philolo-

giae studium pertinent et aliis in studiis audivi viros illustrissimos: Leo, Schaller, Hertzberg, Haym. Per quinte horum studiorum semestria regii seminarii philologici sodalis interpretandi et scribendi disputandique exercitationibus interfui. Quibus viris omnibus de me optime meritis abiturus ab hac academia gratias ago vel maximas.

THESES.

I.

Alcmaeonidas iam multo ante Cylonem popularem rationem secutos esse satis constat.

II.

Dio Cassius (53, 18.) perperam tradit, Augustum omnibus solutum fuisse legibus.

III.

Eur. Hippol. 226. pro *δροσερὰ πύργοις συνεχὴς κλιτύς* scribendum est *συν. κρηνίς.*

IV.

Virg. Aen. 3, 354. optimorum librorum scriptura aula in media tenenda est.